



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Festvm S. Angeli Cvstodis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum Deo nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor ad eò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener. Sacram.*

Christiane, qui se hic tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabitis in Mensa mea: audivisti Dei convivium; sollicitus non sis de qualitate convivij. S. Pet. Chryf. f. 95.

FESTVM S. ANGELI CVSTODIS

DA mihi Arge, ò Angele mi, da penam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ò! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latu stipabas meum, ò Custos unice! Infanti sinum, puero manum dedisti, ò Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrem in celis IESVM, nunc Matrem MARIAM clamare, tu nunc artes humaniores, nunc severiores docuisti, ò doctor fidissime! Tu in hivio vitæ dubio viam Mercurius monstrasti, præstisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium ò quale introduxisti, dux fidissime! Sed vin' compendium tuarum dem laudum? morituro quotidie aurem vellicas: irati iudicis timere vultum doces: mones præcipitia infera cavere, cæli ardua digito ostendis, ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manu ducis, succumbentem portas, ægrum foves, impugnatum propugnas. Illud quantum est, quòd, nisi ego te vivus, tu etiam mortuum non es deserturus. O
Mi

mi Arge ! ô Angele mi ! cur ut laudes tuas scribe-
 rem , pennam è tuis unam aliquam non dedisti ?
 Sed eja hanc meam cape, & , si placet , MAGNÆ
 VIRGINIS , cui uni laboravit, pedibus substerne.
 Ut multæ aliæ tam altam, certè altiùs nulla vola-
 verit penna.

*Noli ô homo Conditoris tui negligere munus; noli
 custodis tui Angeli benevolentiam spernere, parvi
 pendere ministerium, suffragium abjicere, & igno-
 rare consilium. Sta super custodiam tuam : Tibi
 assistunt Angeli, à dextris boni, à sinistris mali.*
 S. I. aur. Iust. de vit sol. c. 16.



IANVA